



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 100. Sylvii Sabelli Cardinalis mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul.XVI.
A.C. 1599.

renuntiaretur, in quibus officiis tanta elucebat prudentia, ut a Sixto V. Cardinalis Diaconus Titulo SS. Cosmæ, & Damiani, & postea a Clemente VIII. Presbyter Cardinalis eligeretur, ad titulum sancti Petri in monte aureo vocatus. Eminuit præprimis animi magnitudine, Religione in Deum, obsequio in amicos, in omnes benignitate, tantaque vitæ modestia, morum honestate, ac castimonia conspicuum sese reddidit, ut dubium relinqueret, an non majori splendore Romanam honestarit purpuram, quam ab ea decoratus fuerit. Interfuit comitiis, in quibus Urbanus VII. Gregorius XIV. Innocentius IX. & Clemens VIII. ad Pontificii honoris apicem eVecti sunt. Vixit nonnisi triginta octo annos, novemque Menses, nimis præmatura morte Romæ ad sanctam Agatham prope Quirinalem montem die decima quinta Januarii sublatus, cui in grati animi memoriam ejus Domestici in Ecclesia sancti Blasii, ubi sepultus est, honorificum monumentum posuere.

§. C.

Sylvii Sabelli Cardinalis mors.

Alter erat Sylvius Patre Camillo Sabello Aricizæ Principe, & Matre Isabella Ursina anno a Virginis partu millesimo quingentesimo quinquagesimo Romæ

Ciac. l. c.
p. 287.
Maphæ in
vit. Greg.
XIII.

Sæcul. XVI.

A.C. 1599.

Romæ natus, qui utriusque Juris Doctor Gregorio XIII. a cubiculis primæ Canonatum in Basilica Divi Petri, ac postea anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo tertio Rossanenæ Archiepiscopatum obtinuit, cui quinque annis præfuit, miraque in rebus gerendis dexteritate insignis, primò Neapolim, ac demum in Gallias Nuntiatus Apostolicus decernebatur: sedente autem Clemente VIII. Papa anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto Patriarcha Constantinopolitanus, & Avenionensis Pro-Legatus, ac demum Cardinalis Presbyter titulo sanctæ Mariæ in via nominabatur, qua dignitate conspicuus Umbriæ, ac Perusæ Legationem cum summæ integritatis laude obibat, inde vero Ariciam profectus hoc anno die vigesima prima Januarii subitanea morte non sine omnium luctu vivis ereptus est. Postea Cadaver ejus Aricia Romam translatum ad Aram Cœli terræ mandabatur.

§. CI.

*Henrici Cajetani Cardinalis extremi.**Ugell. Ital.**Sacra Ciac.**pag. 152.**Baron tom.**2. Annal.**Thu. l. 98.**Et 99.*

Postremus inter Cardinales, qui hoc anno decesserunt, erat Henricus Cajetanus Sermonettæ exiguo ditiosis ecclesiasticæ oppido Parentibus Bonifacio Sermonettano Duce, & Catharina Pia